debilis vero et infirmus corpore qui ita vixit curam sui agens ut vix aliquando videretur ab hiis qui in eodem habitabant vico. Terram autem suam assidue operabatur et ibidem semper occupabat vitam suam. Si quando fortasse sanus fuisset, fructus culture sue domi portabat. Plurimum autem temporis in lecto et languore detinebatur, tantaque taciturnitas ei erat ut ignorantibus eum sine voce crederetur esse. Mater vero mea erat e contrario curiosa absque modo, et que ultra omnes qui erant in regione hac turpior erat. Sermones vero eius ita ad universos movebantur ut putaretur omne corpus ipsius lingua esse. Lites vero frequentius commovebantur ad omnes ab ipsa. In ebrietate vero vini cum viris luxuriosis demorabatur. Dispensabat autem et ea que intus domi erant tamquam meretrix pessima, ut etiam substantia multa valde non potuerit nobis sufficere. Nam huic a patre meo delegata erat dispensatio domus. Corpore autem suo ita in turpitudine abutebatur ut pauci de ipso vico potuerint effugere libidinem eius. Numquam corpori eius morbus occurrit nec dolorem aliquem sensit vel aliquantulum, sed a nativitate usque ad ultimum diem integrum sanumque corpus suum possedit. Inter hec contigit ut pater meus longa egritudine fatigatus moreretur, et continuo aer commotus est, et pluvia et choruscationes atque tonitrua aerem conturbabant, et neque nocte neque die imber cessando triduo super lectum sine sepultura fecit eum manere, ita ut homines vicini illius moventes

capita admirarentur quod tam malum universos lateret, dicentes: Sic enim deo erat inimicus ut nec terra eum recipiat ad sepulturam. Sed tamen ne intra domum dissoluta membra eius ingressum habitantibus prohiberent, imminente adhuc aere turbido et pluvia descendente, vix aliquo modo sepulture eum tradidimus. At vero mater mea post hec licentia plurima accepta cum improbitate maxima corporis sui libidine utebatur, et prostibulum deinceps faciens domum nostram in multa luxuria vixit atque deliciis. Et dum adhuc parvula essem et deficeret nobis substantia nostra, vixit aliquando cum timore, sicut michi videtur. Morte illius adveniente tantam meruit funeris prosperitatem ut etiam putaretur aer simul in exequiis deducere funus eius. Ego autem post obitum eius puellari egressa etate, et desideria titillationesque iam corporis cum me permoverent, in quadam die ad vesperam, ut fieri solet, cogitare cepi atque considerare cuius vitam eligerem imitandam: utrum patris, qui modeste ac mansuete et sobrie vixit, sed rursum cogitabam illud quia nichil in vita sua consecutus est boni, sed omne tempus in infirmitate et tribulatione consumpsit, in fine vite sue accipiens ut nec sepulturam eius terra reciperet. Si ergo hec bona esset conversatio apud deum, quare tanta malorum consecuta sunt patri meo, qui sic eam elegit? Sed sic michi iustum est cogitare: matri mee autem bonum esse videtur tradere voluptati et luxurie ac libidini corpus suum; et enim illa nullum opus tempore pretermisit; in ebrietate autem omne tempus involvit atque prosperitate degens in vita sua explevit. Quid ergo? Sic oportet me vivere sicut mater. Melius est enim propriis oculis credere hiis que manifeste cognita sunt. Et michi permitte; et cum hoc placuisset mihi misere, me eodem constituere vite

et si volueritis et audieritis me, bona terre comedetis. Ego, inquit fornicatrix, in hoc sermone compuncta sum nimis, et ingemiscens intra conscientiam meam dixi ad deum: Tu deus qui venisti in mundum facere peccatores salvos, et qui hec que nunc lecta sunt promisisti per prophetam, comple effectum et opere etiam in me indigno et peccatore. Ego enim amodo promitto tibi et spondeo sermone et corde confiteor quia iam non agam ultra illud malum, sed abrenuntio omni iniquitati et serviam tibi amodo in conscientia munda. Hodie ergo domine et in hac hora suscipe me penitentem et interpellantem te et renuentem omne peccatum. In hiis ergo promissionibus atque egressa sum de ecclesia, statuens in animo meo nichil ultra agere mali coram oculis domini. Quod cum audissent omnes, clamaverunt ad dominum voce magna dicentes: Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Quapropter agnoscentes hoc, christiani, de sanctis scripturis et divinis revelationibus, quantam deus habeat bonitatem circa eos qui ad eum devote confugiunt et per penitentiam emundant priora delicta, non solum non cogunt penas solvere pro peccatis ante commissis, verum etiam consequuntur bona promissa. Non ergo desperemus de nostra salute, quia sicut per ysaiam prophetam promisit eos qui in peccatis sunt involuti delavare et sicut nivem vel lanam dealbare et bonorum celestium que in ierusalem celestis civitate sunt replere, ita etiam nunc per iezechielem prophetam cum iureiurando promisit: Vivo ego, inquit, dicit dominus, nolo mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat. Hic usque de greco in la[illegible] transtulit ieronimus presbyter sive

Ut plerique autumant pelagius diaconus romane ecclesie. Ab hinc autem incipit iohannes subdiaconus. Capitulum primum.

Abiit aliquando abbas zacharias ad abbatem suum silvanum et invenit eum in excessu mentis, et erant manus eius extense in celum. Et cum vidisset ita, clausit ostium et exivit. Et intrans circa horam sextam atque nonam invenit eum eodem modo. Circa decimam vero horam pulsavit et ingressus invenit eum quiescentem et dicit ei: Quid habuisti hodie pater? Qui dixit ei: Infirmatus sum hodie fili. Ille vero tenens pedes eius dicebat: Non te dimittam nisi dixeris michi quid vidisti. Respondit ei senex: Ego in celum raptus sum et vidi gloriam dei, et illic steti usque modo, et nunc dimissus sum.

ij

Dixit sancta syncletica: Efficiamur prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe, ut astute intelligamus laqueos eius. Nam prudentes fieri sicut serpentes dictum est ut non ignoremus impetus diaboli et laqueos eius. Etenim simile aliquid ex alio simili superatur. Nam et simplicitas columbe demonstratur.

iij

Dixit quidam patrum quia dum sederent aliquando seniores et loquerentur de edificationibus, erat inter eos unus providens, et vidit angelos manus agitantes et levantes eos. Ut autem venisset locutio secularis, discedebant angeli, et volutabant porci in medio pleni fetoribus et polluebant eos. Cum autem rursus loquerentur de edificatione, veniebant iterum et lavabant eos angeli